



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Sacramento Extremae Vnctionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

Euseb. epist. ad defenditur, quando termini, quos posuerunt sancti Patres, non transferuntur à nobis, sed observantur & defensantur. Prima enim salus est, recte fidei regulas custodire, & à constitutis maiorum nullatenus deviare. Vanum autem est, vel arbitrari, vel affirmare, caeremonias Maiorum ab Ecclesia approbatas, esse contra verbum Dei; Si enim essent, ab Ecclesia quæ columna & firmamentum est veritatis, approbatæ nunquam fuissent.

DE SACRAMENTO

Extremæ Vnctionis.

1779. **E**Xtremam Vnctionem non esse Sacramentum propriè dictum. *Omnes Calumstæ & Martinistæ.* Sed si his opponas sensum & consensum omnium antè ipsos Christianorum, Patrum & Conciliorum, quid sunt dicturi?

1780. Non posse probari ex sacris literis, Vnctionem esse Sacramentum. At neq; probari potest, Eucharistiam vel Baptismum esse Sacramentum: quæ enim scripturæ? qui Prophete vel Apostoli, Eucharistiam dixerè Sacramentum? Eadem autè Ecclesia, quæ Eucharistiam, Extremam quoq; Vnctionem tradidit esse Sacramentum.

Jacob. 5o.

1781. Nullam Vnctionis huius in scripturis fieri mentionem. Cum Apost. Iacobus apertam eius faciat mentionem, dicens: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum. Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

1782. Non habere Institutionem à Christo: An non sufficit Apostolorum traditio? an tradidissent, nisi à Christo accepissent?

1783. Epistolam Iacobi non esse Canonicam, nec tantæ auctoritatis, ut ex ea dogmata fidei sine aliis scripturis Canonicis possint aut debeant probari. *Luth. Kemnit.* Expedita scilicet solutio, negare scripturam, quia tuam arguit doctrinam, Atqui Canonicâ esse, nemo hactenus dubitavit. Alibi.

1784

1784. Apostolum Iacobum, sua, non Christi auctoritate illam instituisse vñtionem. Mirum: cum ipse Kemnitiuſ fateatur, nullius creaturæ esse instituere cæremoniam, per quam gratia conferatur, vel peccata dimittantur. Et si etiam Apostolus instituisse & tradidisset, an non sufficeret?

1785. Apostolum loqui tantummodo de vñtione corporali. At corporalis vñtio, quæ promissionem habet remissionis, Sacramentum appellatur à Pontificiis, sicut corporalis ablutio.

1786. Apostolum loqui duntaxat de corporali curatione, quæ olei applicatione per Apostolos miraculosè conferebatur: Cur ergo decumbentes tantummodo, & non quoslibet infirmos, claudos, mutos, cæcos, &c. eo curabant? cur iubet, vt Presbyteri inducantur Ecclesiæ? num omnes Presbyteri, donum habent curationis per oleum?

1787. Apostolum non loqui, nisi de Infirmis, qui suo tempore vivebant: An ergò alia quoq; verba, quæ ibidem habet Apostolus, nempe, *Patientes estote, & confirmate corda vestra.* Item: *Nolite errare.* Item, *Tristatur quis ex vobis, & æquo animo est, psallat.* Item: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* An hæc inquam, & similia, quæ eodem loco, eodemq; verborum decursu ab Apostolo dicuntur, non pro omni, sed pro vno duntaxat dicta sunt tempore?

1788. Apostolum non loqui de omni, sed de illo duntaxat tempore, quo donum curationis passim omnibus fuerat à Deo concessum: Verum Apostolus tempus nullum expressit, ve excepit, sed absolutè dicit, *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros.* Sicut ergò non vno, sed omni tempore in Ecclesia sunt infirmi, & Presbyteri, ita non vno, sed omni tempore inducendi sunt ad infirmos Presbyteri Ecclesiæ?

1789. Apostolum non intelligere per Presbyteros, Pontificios sacrificulos, sed Seniores Ecclesiæ; neq; enim aliud esse Presbyterum, quàm seniozem: At si seniores inducendi sunt ad infirmos, vt orent pro ipsis, eosque vngant oleo, cur eos non inducunt? qui illi Seniores? an fortè Consules & Senatores? quia hi

Millesexcenti Errores,

plerumq; senio sunt spectabiles, aut verò quiuis alij de plebe publicani, cementarij, rustici? Et si hi, cur non magis Sacerdotes, quib. ex officio incumbit orare & offerre pro populo? Heb. 5. 7.

1790. Apostolum non de alia vnctione loqui, quàm quæ cæteri Apostoli in curandis infirmis passim fuerunt vsi, Marc. 6. Sed si uè de hæc, si uè loquatur de alia, ad causam sufficit, quod ex traditione Apostolica per presbyteros vngendi sint infirmi oleo.

1791. Apostolum non scribere, quod ritus ille constans & perpetuus esse debeat in Ecclesia, sicut de Eucharistia Paulus scribit, *Hoc facite, donec veniat.* At neq; de Baptismo id dicitur: Sicut autem de Baptismo dicitur & poenitentia, *poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, &c.* Ita de vnctione hac dicitur, *Infirmatur quis ex vobis, &c.*

1. Cor. 11.
Act. 2.

1792. Hanc Vnctionem non habere ea omnia, quæ ad Sacramentum propriè dictum, requiruntur. Cum ex scripturis Canonicis nusquam probare possint, quid propriè vel impropiè ad Sacramentum requiratur. At videamus quæ sint illa.

1793. Extremam Vnctionem non habere externum symbolum. An ergò Oleum, externum non est symbolum?

1794. Non habere institutionem diuinam. Dicitur: Neq; enim aliud est traditio Apostolica, quàm institutio diuina.

1795. Non habere mandatum in nouo testamento: At certè Iacobus noui, non veteris Apostolus est testamenti.

1796. Non habere ritum externum. An ergò externa olei vnctio, ritus non est externus?

1797. Non habere ritum durabilem & perpetuum. An ergò vllò tempore, inducendi non sunt presbyteri, vt vngant infirmos? quamdiù ergo erunt infirmi, tam diù inducendi ad infirmos sunt Presbyteri.

1798. Non habere promissionem remissionis. Cum Apostolus conceptis inquit verbis, *Et si in peccatis est, remittentur ei.*

1799. Non habere promissionem in particulari, quæ ad omnes pertineat homines. Cum nullum Apostolus excipiat, dicens, *Infirmatur quis ex vobis, &c.* Si quis ergò ab infirmitate excipitur, oleo quoq; non vngetur, Ad omnes ergo vnctio perti-

net infirmos, sicut pœnitentia ad omnes peccatores.

1800. Non esse Cœremoniam sacram. An ergo Cœremonia, per quam remittuntur peccata, non est cœremonia sacra?

1801. Hanc Vnctionem fuisse institutam à Fœlice quarto, circa annum 528. *Kem.* Cum Calvinus velit institutam ab Innocentio I. qui annis 100. Fœlicem præcessit. Nec vel in vita, vel in scriptis Fœlicis, de hac infirmorum quicquam, sed tantum de basilicarum & altarium vnctione, legatur.

1802. In Additionib⁹ seu supplemento Chronic. Philip. Bergomen. legi, Fœlicem monuisse vel potius mandasse, vt seruetur doctrina B. Jac. de vngendis infirmis, &c. At hoc non institutione, sed instituti Sacramenti sonat, p̄mulgationem & obseruatione.

1803. Sigisbertum in Chronico annotare, Vnctionem hanc institutam esse ab Innocentio I. *Caluin. lib. 4. Inst. cap. 19.* Cum Kemnitius (vt supra.) institutionem tribuat Fœlici: sed & Innocentius epist. 1. cap. 8. (quam Sigisbertus citat) Vnctionem hanc Sacramentum esse scribit, abs se institutum esse non scribit, Sacramentum verò esse probat ex verbis Apostoli, *vngentes eum oleo.*

1804. Apostolos adhibuisse infirmis oleum, quia natura sua est medicinale. At Apostolus vnum duntaxat omnibus infirmis & infirmitatibus præscripsit oleum, quod nequaquam fecisset, si ipsum vt medicinale, & non magis vt Sacramentale adhibuisset & adhiberi voluisset.

1805. Diuersum fuisse ritum illum Apostolorum, circa vnctionem infirmorum, ac Pontificiorum; Apostolos siquidem omnes sine discrimine vnxisse infirmos, Pontificios solum in extremo spiritu constitutos. *Luth. Cal. Kem.* At certè nusquam legitur, Apostolos quosuis infirmos, sed tantum graui aliqua infirmitate decumbentes inunxisse; si enim de omnib⁹ indifferenter, qui leui aliqua infirmitate detinebantur, loqueretur Apostolus, non dixisset, *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros, sed, eat vel festinet ad eos, vt eum vngant, &c.*

1806. Præter mandatum scripture, Pontificios illos tantum inungere, qui morti sunt proximi, & in extremo spiritu cõstituti.

At

At nunquam opportunius remedia quærentur vel adhibentur supernaturalia, quam postquam deficiunt naturalia.

1807. Apostolum potius velle, ut non morituris, sed illis adhibeatur inunctio, de quorum sanitate spes aliqua superest, unde ait, *Et alleviabit eum Dominus, &c.* Quasi nullus eorum fuerit mortuus, quos inunxerunt Apostoli, aut omnes moriantur quos inungunt Pontificij? Non raros autem etiam ex hac unctio-
one infirmos conualuisse, ipsa testis est experientia.

1808. Ridiculos esse Pontificios, quod extremam unctio-
nem iis adhibeant, quos sanari cupiunt; quomodo enim extrema, si non morituris, cui eam adhibent? At næ ridiculi ipsi, qui inde extremam dici putant, quod in extremo tantum agone consti-
tutis adhibeatur? & non magis, quia post omnes aliorum Sacra-
mentorum, Baptismi, Confirmationis & Ordinis unctiones ad-
hibetur?

1809. Pontificios non servare ritum ab Apostolo Iacobo præscriptum; neq; enim presbyteros, sed vnum duntaxat ad in-
firmum ablegare presbyterum. Multum scilicet solliciti de mul-
tis, cum nec vnum quidem inducant ipsi? Quasi verò cum dici-
mus, Confitendum esse sacerdotibus, multis simul, & non ma-
gis vni confitendum esse intelligatur?

1. Tim. 4.

1810. Apostolos simplici vfos fuisse oleo, Pontificios verò
vri incantato prius per murmura verborum. Rursum sanctifica-
rum per verbum Dei & orationem cauillantur oleum, cum nec
simplex quidem adhibeant ipsi.

1811. Apostolum non expressisse, in quam corporis parte
vngendi sint infirmi, Pontificios verò determinare certas partes.
Cauillatio: Cum ipsi nec determinatas inungant, nec indeter-
minatas: An fortè totum inunxerunt Apostoli corpus?

1812. Hanc Unctio-
nem antiquitati esse ignotam. Cum (vt
supra) Calvinus ab Innocent. I. ante annos 1300. Kemnitius
verò institutam velit à Fœlice; Ipse verò Innocentius & Fœlix
eam probent ex Apostolo. Supra.

1813. Vetusiores hanc Unctio-
nem non nominare Sacra-
mentum.

mentum. Cum eam sic appellet Innocentius epist. 1. ad Decen-
tium, cap. 8.

1814. Hugonem asserere, Hoc Sacramentum esse institu-
tum à Iacobo. Solutus id dicit; Neq; de Institutione primæua, sed
de promulgatoria videtur intelligere, sicut Moyses auctor dicitur
legis, cum tantum sit promulgator.

lib. 2. de Sacra.
part. 15. c. 2. 3.

1815. Non legi, homines olim fuisse inunctos. Cum legatur
apud Apostolum & Innocentium, ut supra. Vid. Surium tom. 2.

1816. Græcos non sentire, hanc Vnctionem esse Sacramen-
tum. Atqui legant, quem de hac re consuluerunt, Ieremiam Pa-
triarcham Constantinopolitan. in responsione ipsius, cap. 7.
Nec vlla hac de re controuersia legitur, inter Græcos & Latinos:
Nisi autem malam in religione causam fouerent, à Græcis Schif-
maticis patrociniū Religionis suæ non quærent.

1817. Nihil in antiquis de hac Vnctione extare Conciliis.
Cum exemplo Lutheri sui Canones & Concilia potius soleant
comburere, quàm apud se tenere & legere. Extare verò, patet ex
Nicen. ex Arabico in Latinum conuerso, can. 69. Cabilonen. 2.
can. 48. V Vormatien. can. 72. Moguntin. sub Rabano, can. 26.

1818. Sufficere ea remedia pro morientibus, quæ data sunt
& profunt viuentibus, nimirum Verbum Dei, perceptionem
Eucharistiæ, &c. *Kemn.* Sed quid si infirmi (ut plerumq; fit) nec
audire quidem verbum, nec percipere possint Eucharistiā?
Credi ne potest, Diuinam prouidentiam, Sacramentum ordi-
nasse nascentibus & viuentibus iustis, & peccatoribus, nullum
autem morientibus quando maximè opus habent, nec se ad a-
lia præ morbi grauitate disponere possunt?

1819. Vnctionem hanc non habere infallibilem effectum,
sanitatem corporis, ad quam recuperandam adhibetur. *Luth.* Cū
effectus illius primarius non sit sanitas corporis, quæ nec per hoc,
nec per alia Sacramenta primariò quæritur, nisi quatenus expe-
dit saluti animæ, ut Concilium declarat Florentin. & Tridentin.
sed sanitas animæ.

1820. Si ex eo, quod inungebant Apostoli infirmos, liceat
Fff colli-

colligere, Vnctionem illam esse Sacramentum, eadem ratione liciturum colligere, Cereemoniam illam, qua Christus sputo & luto infirmos curabat, Sacramentum esse. *Caluin.* Mirabile prorsus, si colligi potest, cur non colligant? an si colligi posset, Patres & Concilia non collegissent? An Christus dixit, si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, vt eum sputo inungant & luto, sicut Apostolus dixit de oleo?

Lib. 1. cap. 10. 1821.

Valentinianos hæreticos fuisse primos, qui teste Irenæo, Vnctionis ceremonia per modum Sacramenti, sine dono curationis sint vsi. *Kemnit.* Sed nisi Kemnitius hæreticus esset, contrarius sibi in re eadem non esset; si enim Vnctio hæc tempore Irenæi pro Sacramento fuit habita, quomodo veteribus ignorata, & à Fœlice quarto scribit esse institutam? Valentiniani verò non inungebant morituros, sed mortuos; nec oleo solum, sed oleo & aqua; nec precibus approbatis, sed horribilibus quibusdam & inauditis verbis Hebraicis, vt refert Epiphan. hæres. 36. Vnde quod Irenæus ait, *ungere solitos in fine defunctionis*, post mortem intelligit lauissè & vnxisse corpora. Epiphan. loc. cit.

1822.

Ritum vngendi morituros, ab Ethnicis trahere originem, iuxta illud Virgilij, *Corpusq; lauant frigentis & vngunt*, eamq; ob causam ab Apuleio vltimum vocari lauacrum. in cap. 9. de Asino Aureo. *Kemnitius.* At si dixisset Kemnitius, dogmata sua non esse aliud, quàm veteres Apulei asinos de nouo deauratos, homines admirari desissent. Num enim lauacrum quoq; nostrum ritus est Ethnicus, quia, vt Apuleius inquit, Ethnicis lauacro quoq; vtebantur? An non Tabitham Christiani lauerunt mortuam? An Ethnicis infirmos vngebant in nomine Domini? & non magis mortuos in nomine idoli?

Act. 9.

1823.

Rursum. Vngendi ritum (aiunt) Pontificios sumpsisse & mutasse ab Ethnicis. Cum eam habeant (vt supra) ab Apostolis.

1824.

Ridiculum esse, quod Pontificij tradunt, per Vnctionem peccata dimitti venialia, cum eadem, sola oratione Dominica, & morbi doceant deleri tolerantia. At satis nobis esse debet,

bet, quod Apostolus ait, *Et si in peccatis est, remittentur ei.* Possunt enim esse multa, vel occulta, vel aliena, vel aliis Sacramentis nondum remissa, quæ hoc remittantur Sacramento. Nec ideo, ut ipse aibi fateretur Kemnitius, frustra adhibentur Sacramenta, licet peccata quæ remittant, non inueniant. pag. 24. de efficacia Sacrament.

1825. Ministrum huius Sacramenti, non esse solum Sacerdotem, sed quemlibet presbyterum, id est, seniore[m] hominem. Sed frustra cauillantur vocabulum presbyteri, cum nec per seniore[m] quidem, aut alium inungant hominem. Quales autem eorum sunt ministri, talia quoque eorum sunt ministeria & Sacramenta.

1826. Innocentium primum permittere, non tam Sacerdotibus, quàm omnibus laicis, administrare hoc Sacramentum. *Epist. 1. cap. 8.* Cum non de administratione, sed loquatur de perceptione.

1827. Vngendos potius esse Christianos vnctione spiritus interna, quàm externa. Quasi illa per hanc non significetur, nec tantum significetur, sed verè conferatur, dicente Apostolo, *Et si in peccatis est, remittentur ei.*

1828. Ritum Vngendi, athleticam esse cæremoniam. Vtiq; pugnandum est enim Christiano homini in agone mortis, cum hoste callido & periculoso, Neq; aliud est Christianus, quàm Christi athleta, pro Christo animæq; suæ salute pugnans.

1829. Homines sine Vnctione posse saluari, proinde superfluum. Atqui etiam sine baptismo & Eucharistia saluantur multi, num ideo superflua? Homo autem Christianus, nihil eorum, quæ quoquo modo ad salutem suam pertinere, vel promouere eam posse cognoscit, negligit, multò minus contemnit.

1830. Omnia quæ dicta sunt, & dici possint de Sacramentis à Pontificiis, dicta esse prius, refutata sæpius. At nihil dici, quod dictum non fuerit prius, credimus, refutata verò esse quæ diximus, non legimus: quomodo autem refutata sunt, ex iis ipsis, quæ dicta sunt, liquet.

Omnia Ecclesie Catholicae subiecta sunt.